

tum illud spatium monasterii, seu domus personarum religiosarum, ad quod liber est accessus ipsis religiosis, et non secularibus personis, terminique et limites istius clausuræ complectuntur omnia monasterii loca, quæ janua clausa continentur, et ad quæ sæculares non admittuntur. Bonacina, *l. c.*; Ventriglia, *Prax. rer. notab.*, part. 1, annot. 5, § 1, n. 2.

(3. Porro incipit clausura ab ea porta, in qua est sedes janitoris ad clausuram servandam (91-92). Sanchez, in *Decal.*, lib. vi, c. 15, n. 28; Ventriglia, *l. c.*, n. 3. Hujusmodi autem clausuræ limites statuere pertinet ad prælatum loci illius, qui habet jus visitandi clausuram prædict. sive ordinarium, sive delegatum. Pignatell., tom. VI, consultat. 85, n. 275.

(4. Illud quoque ex verbis d. bullæ utique infertur, ecclesiam, et locutoria exteriora non venire sub appellatione clausuræ (93). Sanchez, in *Decal.*, l. vi, c. 15, n. 6 et 7; Ventriglia, *l. c.*, n. 2.

(5. « De iimie (vero) portæ, sic Ventriglia, *l. c.*, n. 4, quid dicendum sit, dubitatur, an dicatur venire appellatione clausuræ, videtur dicendum quod non; nam quod fit in ostio, non dicitur fieri in domo... (Ast) verius dicendum est, si, clausa janua, limen remanet intra, erit comprehensum in clausura; si vero remanet extra, dicitur extra clausuram, ut bene distinguit Bart... qui dicit, quod si aliquid fit in ostio intra clausuram domus, dicitur esse factum in domo; si vero fit extra clausuram ostii, non dicitur fieri in domo. »

(6. Quoad autem rotam spectat, « Dubitatur, prosequitur Ventriglia, *l. c.*, n. 6 et seq. an rota, id est instrumentum illud in pariete monasterii, quo res e monasterio extra, vel ab extra ad monasterium trahuntur, veniat appellatione clausuræ. Respondet Bonacina..., sic idem Ventriglia; quod rota non dicitur intra, nec extra clausuram, unde infert quod si monialis rotam ingrediatur, et rotam ad partem, quæ sæcularibus patet, vertat, quandiu a rota non egreditur, non dicitur violare perfecte clausuram, cum limites clausuræ nondum perfecte excedat, licet peccet ratione periculi. Verum, prosequitur Ventriglia, Comitulus, quem refert et sequitur idemmet Bonacina ante factum, tenet contrarium; unde in casu prædicto monialis diceretur violare clausuram, et opinio Comitoli est tutior; nam tenendo opinionem Bonacinae, sequeretur absurdum; nam si sæcularis poneret se intra rotam, eamque verteret ad partem, quæ

(91-92) Hac ratione « violatrix dicitur clausura monialis, etiam tertiaria, si egrediatur e janua monasterii, quæ est pro clausura, ad claudendam aliam januam ulteriorem qua patere solet aditus sæcularibus venientibus ad rotam, vel ad crates, seu loca colloquiis destinata, vel ad pulsandam ipsam januam clausuræ; quæ loca, cum patere soleant sæcularibus, extra clausuram censi debent, etiam tempore quo clausa sunt. » Ventriglia, *Prax. rer. notab.*, part. 1, annot. 5, § 5, n. 20.

monialibus patet, si non egrederetur a rota, non violaret clausuram; quod non potest dici, nam vere ex hoc ingressu possent oriri damna et scandala pro quibus vitandis introducta est clausura. Hanc opinionem, concludit præf. Ventriglia, omnes admittunt quoad peccatum; quoad vero censuras, magis communis est talem monialem non incurrere excommunicationem. Tamburino, *De jur. abbatiss.*, disp. 19, quæsit. 4, n. 5; Diana et alii. »

(7. Tectum eatenus dicitur esse intra clausuram, quatenus regit loca quæ sunt intra clausuram, et non ultra. Sanch., *l. c.*; Suar., t. IV, *De rel.*, l. 1, c. 10, n. 6; Diana, *De claus.*, n. 20; Ventriglia, *ibid.*, n. 3.

(8. Horti demum monial. continentur procul dubio sub clausura. Nicol., in *Flosc.*, v. *Monialis*, n. 34... « Mihi tamen, prosequitur Nicolius, procul dubio, videtur non affici clausura hortus, quando non est muratus, sed sola sepe cinctus, et per consequens non posse moniales ad illum egredi; alias plus esset periculi, quam si per vias publicas graderentur: nec ita indicatur clausura per sepe, sicuti per murum... » Sacra vero congregatio, sic idem Nicolius eod. censuit, « quod hortus, vel silva murati, aut fovea circumdati, comprehenduntur sub clausura, 15 Octob. 1578. »

(9. « An autem violatio clausuræ monialium excusari possit a culpa m. ratione parvilitatis materiæ: R. Naldus, verb. *Clausura*, n. 2, et Graff., *Decas. reser.*, c. 9, n. 45, quos adducit et non reprobatur Diana p. III, tr. 2, resol. 52, posse excusari, adeoque monialem ambobus pedibus se transferentem extra januam terminos clausuræ terminantem ad unum, vel ad duos palmos, non peccare m. si statim regrediatur; idem sentit, et Merolla relatus a Tambur... qui tamen oppositum sentit cum Bonacina... et aliis, alioqui concedens parvilitatem materiæ in præsentis casu posse admitti, si monialis toto corpore non egrediatur e clausura, sed majori parte corporis manens intra septa monasterii, pede, aut pedibus exeat: sic quippe non videtur consummari tota transgressio violationis clausuræ in eo consistens, quod monialis egrediatur e terminis definitæ clausuræ, quod utique verificatur, sive ea longe recedat a dictis terminis, sive tantum ad duos pedes, mox regressura; quæ est ratio cur citati DD. sustineant in violatione clausuræ non dari parvilitatem materiæ, et quidem satis probabiliter. Quanquam non audeam damnare oppositam sententiam, quam admittunt docti neoterici a me consulti, nec

(95) « Hinc nec sacriliana, nec priorissa, nec alia monialis egredi potest in ecclesiam exteriorem, occasione claudendi illius januam, vel quolibet alio prætextu. 1608, *Brissinon.* 12 Dec. Neque de hoc datur licentia, 1577, *Amelia*, 22 Jan., *Como*, 8 Dec. 1594. Sed pro necessitate claudendi januam respondentem in viam publicam debet provideri de vecte cum sera a parte exteriori, cujus clavis teneatur a confessario, vel procuratore, vel alia persona vicina sene, et timente Deum. 1594, 20 Sep. » Nicolius, *Floscul.*, v. *Clausura*, n. 50.

immerito; stante quod obligatio clausuræ est de jure positivo humano, quod cum debeat esse accommodatum fragilitati humanæ, non solet, nec debet interpretari adeo rigore, ut non admittat levitatem materiæ, etiam in casu quo ejus violatio dicatur perfecte consummata modo prædicto; idque juxta doctrinam a Sanchez traditam l. 1 *Mor.*, cap. 4, n. 1, asserentem tunc solum non dari parvilitatem materiæ, quando in materia parva reperitur integra ratio irreverentiæ, ac offensionis, cujusmodi sunt ea quæ immediate ac directe versantur circa Deum, ut odium Dei, contemptus illius, infidelitas, perjurium assertorum, simonia, et alia id genus, inter quæ tamen non videtur computanda violatio clausuræ, etsi Sanchez, l. vi *Mor.*, c. 16, n. 70, id neget. » Hæc habet Pellizzar., *De monial.*, cap. 3, sect. 1, q. 11, n. 19 (94).

(10. Contra Pignatellus, secutus Sanchez, Bonac. et Dianam, tenet quod « clausura consistit in indivisibili; unde non potest in hujus violatione dari parvitas materiæ; nam sive parum ultra lineam clausuræ transeas, sive multum, dummodo totus transeas, perfecte diceris clausuram violasse. » Tom. VI, consult. 85, n. 275. Ita pariter sentit Ventriglia, *Prax. rer. notabil.*, part. 1, annot. 5, § 1, n. 8.

(11. Jam vero ex concil. Trident., sess. xxv, cap. 3 *De regular.* Episcopis injungitur sub obstatione divini judicii, et interminatione maledictionis æternæ, ut clausuram violatam restituant, et inviolatam conservent: quod quidem onus eisdem incumbit ordinaria auctoritate in monasteriis sibi subjectis, auctoritate vero a Sede Apostolica delegata in illis præfatæ Sedi Apost. immediate subjectis, ut ex eod. Trid., *l. c.*, et ex motu S. Pii V incip. *Circa pastoralis*; Ventriglia, *l. c.*, § 2, n. 1.

(12. Atque, ut rite hanc rem persequamur, illud lector advertat oportet, moniales esse in triplici differentia. Aliæ enim sunt immediate subjectæ episcopis; aliæ immediate Sedi Apostolicæ; aliæ vero immediate regularibus, quæ etiam dicuntur exemptæ. Insuper duplex in episcopo dari potest potestas, alia ordinaria, alia delegata; de quibus doctores passim. Pignatellus, tom. VI, consult. 85, n. 1.

(13. « Expendendo igitur hoc triplex monialium genus, cum hac duplici episcoporum auctoritate, certum est, quod jus cogendi ad clausuram episcopo subjectas, est ipsius episcopi auctoritate ordinaria. In

(94) Ex hujus sententiæ tenore posito casu: « An violet clausuram monialis, quæ existens in ostio aperto monasterii, per jocum compellitur a socia extra illud, » idem Pellizzarius, cap. 5, sect. 2, qu. 55, n. 70, sic respondet: « Tambur., *De jure abbatiss.*, d. 19, q. 4, § 8 ad 10, (ait) non violare, dummodo monialis eo modo compulsæ perfecte non sit egressa, citatque pro sua sententia Portellum et Naldum, addens idem dicendum, etiam in casu quo monialis impulsu brachiorum, et per jocum iuvita compellatur extra septa monasterii. Verum, »

monasteriis vero Sedi Apostolicæ immediate subjectis est jus ejusdem episcopi auctoritate delegata Sedis Apostolicæ. »

(14. Certum est etiam apud omnes, episcopum non habere jus super clausuram monialium exemptarum auctoritate ordinaria. Ideo etiam vocantur exemptæ, quia non subduntur jurisdictioni ordinariæ episcoporum. Hujus ratio est generalis exemptio regularium a jurisdictione episcopi, de qua nemo hucusque dubitavit. Ac moniales exemptæ regularium regimini subjectæ, sunt in numero regularium, potiunturque respective regularium exemptionibus, et immunitatibus spiritualibus, ac temporalibus... Atque adeo etiam moniales exemptæ ab ordinaria jurisdictione episcopi eximuntur. Tota igitur difficultas reducitur ad potestatem delegatam, an hanc habeant episcopi quoad clausuram super monasteria exempta. » Sic Pignatellus, *l. c.*, n. 2.

(15. Nonnullis siquidem, etiam magni nominis doctoribus, ut Navarro, Sanchezio, Bonacina, Tamburino, Pellizzario, etc., visum fuit nullam lineam episcopis delegatam fuisse jurisdictionem sive ex Tridentino, sive ex Pontificiis constitutionibus super moniales exemptas, regularibus subjectas, etiam in ordine ad clausuram.

(16. Verum cum sæpius, et sæpiissime, pluribus editis resolutionibus, sacra congregatio Concilii hujusmodi potestatem episcopis demandaverit, non amplius ea de re venit ambigendum. Præstat audire ipsam sacram congregationem Concilii, quæ scribens cardinali Paleotto, sic habet: « Più volte è stato risoluto, etiam di mente di nostro Signore, e scrittosì anche a diversi prelati, che i vescovi visitando la clausura delle monache governate da regolari, « con- « forme alle facoltà, che dà loro il sacro « concilio di Trento, » possano, e debbano con questa occasione investigare diligentemente, ed informarsi, se la clausura è in alcun modo violata, parlando sopra di ciò particolarmente alle monache, per intendere secretamente da loro, se vi è mancamento alcuno. Il che par tanto utile, e quasi necessario in questa materia a chi vuol fare l'ufficio di visitatore, nella maniera, che conviene, che non si dovrà lamentare niuno di questa risoluzione: e però dovrà V. S. Illustrissima così eseguire, ai 27 di Aprile 1583 et 24 Febr. 1583. « Licet episcopis in « visitatione clausuræ monasteriorum regularibus subjectorum investigare diligenter, « et informationem capere, etiam a monia-

prosequitur Pellizz. « cum sect. præc. q. 11, *An autem*, dixerimus, in violatione clausuræ admitti posse parvilitatem materiæ, in præsentis casu excusanda videtur monialis a peccato saltem m. tum ob levitatem materiæ, quæ in tali eventu interveniat, si monialis compulsæ statim regrediatur; tum quia hujusmodi violatio clausuræ non videtur formalis violatio, sed solum materialis, utpote involuntaria respectu monialis compulsæ, ut suppono. » Sed v. Tambur., *l. c.*



« libus, an clausura aliquo modo violata sit. » Vide Luc. nostrum, art. 3 h. rubricæ, n. 94 et seqq.

(17. Hinc clausuram sanctimonialium violatam restitui procurare tenentur episcopi, contradictores puniendo; et delinquentes circa clausuram monialium etiam regularibus subjectarum, aut personarum intra septa degentium, nulla exemptione tueri se possunt quominus ab episcopo coereantur. Hoc pacto, clausura an servetur, potest videre episcopus, non solum in monasteriis sibi subjectis, sed etiam in monasteriis monialium, quæ regularibus subduntur, nec possunt ab ipsis regularibus impediri, quominus ad hunc effectum ea visitet, quoties id expedire iudicaverit. Sac. congr. Concil. apud Barbosam, *Summ. Apost. decis.*, verb. *Clausura*, n. 6 et 8.

(18. Hinc profecto « accessus ad colloctoria, vel rotam, vel alias monasteriorum monialium partes, est materia pertinens ad clausuram, et per consequens spectat ad ordinarium, etiam in monasteriis subjectis regularibus, qui eas ad libitum visitare potest; 1605, *Genova* 17 Jun. » Nicolijus, *Floscul.*, verb. *Clausura*, n. 12.

(19. « Hinc, Barbosa docente, censura per statutum, aut edictum episcopale ipso jure adversus adeuntes monasteria monialium, et cum illis alloquentes, comprehendit etiam accedentes ad monasteria exempta monialium subdita regularibus, qui non subsunt jurisdictioni episcop. existentia intra suam diocesim... dum tamen vetitus fuerit accessus ad monasteria etiam exempta, alioquin generica prohibitio non afficit euntes ad exempla. » *De offic. et potest. episc.*, alleg. 102, n. 74. — Ita quoque Bonac., *De clausura*, quæst. 3, punct. 4, num. 1.

(20. Et pro visitatione clausuræ, non solum episcopo, sed etiam generali ejus vicario ad hoc speciale mandatum habenti licet ingredi septa monasteriorum monialium regularibus subjectarum, tametsi « nulla rationabilis violatæ clausuræ suspicio » irrepsit... Sac. congregat. Concil. apud Barbosam, *Summ. Apost. decis.*, verb. *Claus.* n. 10.

(21. Et quod amplius est, juxta Barbosam, *ibid.*, num. 11 : « Clausuram monialium etiam regularibus subjectarum visitandi facultas tributa episcopo transit in vicarium generalem non habentem ad id speciale mandatum. » S. cong. Conc. die 13 Maii 1628.

(22. At abstractione facta ab hujusmodi decreto, cujus Barbosa meminit, receptum videtur, vicarium generalem episcopi speciali mandato pro visitatione clausuræ, de qua agitur, munitum esse debere, idq. ex post de cr. ejusdem S. congr.

« Ut igitur, sunt verba Monacelli, clausura monialium ubique tuta reddatur, potest episcopus illam visitare, semota quacunque superiorum regularium negligentia, aut suspicione violationis, illisque irrequisitis et inconsultis, non solum per se ipsum, sed etiam per suum vicarium generalem « ad hoc speciale mandatum habentem. » Et in casu resistentiæ, poterit contra renuentes

et contrad. ad pœnas etiam censurarum procedere, prout declaravit congregatio Concil. in *Limana* 12 Augusti 1628, et in *Augustana* 12 Januarii 1630; in *Rhegien.* 9 Novembris 1630, etc. » *Formul. pract.*, tom. II, tit. 15, formul. 15, n. 18, pag. 261. Ita pariter sentit Matthæucci, *Official. cur. regular.*, tom. I, cap. 13, n. 13.

(23. « Quod autem dictum est, pertinentia ad clausuram etiam in monasteriis regularibus subjectis, spectare ad ordinarium intelligitur « cumulative quoad superiores regulares, non autem privative. » *Fossanen.* 31 Aug. 1658. Apud Nicol. *Flosc.*, verb. *Claus.*, n. 12, id quod notatu dignum sit.

(24. Porro clausuram monialium visitare non potest suffraganeus episcopus, ut suffraganeus, absque speciali commissione, et mandato episcopi, cum non habeat exercitium jurisdictionis, nisi sibi tribuatur ab episcopo, sed tantum usum Pontificalium in diœcesi. Sac. cong. Conc. die 11 Maii 1630 apud Barbosam, *Summ. Apost. decis.*, verb. *Claus.*, n. 12.

(25. « Si quæ vero sint in civitate situatæ (moniales), sed alii episcopo subjectæ, visitantur ab episcopo diœcesis, sicut aliæ moniales subjectæ regularibus, refert decisum. Gallet., verb. *Moniales*, 4. » Barbosa, *De offic. et potest. episc.* allegat. 102, n. 6.

(26. Quantum vero ad capitulum sede vacante « potest vicarius capituli jure suo ordinario visitare septa monialium episcopo subjectarum in temporalibus et spiritualibus; monasteria vero Sedi Apostolicæ immediate subjecta, et quæ perpetuo episcopali muneris sunt commissa, et delegata, spiritualiter tantum. » Sic Monacellus, part. III, tit. 1, formul. 39, n. 11, pag. 163.

« Neque dicas capit. sede vacante, non succedere in jurisdictione episcopo delegata etiam ex generali delegatione Sedis Apostolicæ. Enimvero distinguendum inter casum in quo aliquid jurisdictionis in perpetuum committitur muneri episcopali ex delegatione Sedis Apostolicæ, ut ex officio deinceps competat episcopis, et inter casum in quo episcopo sub nomine dignitatis, et consequenter etiam successoribus a Summo Pontifice delegato ad aliquam peculiarem tantum causam, vel negotium. Etenim in hoc ultimo casu jurisdictio delegata non transit in capitulum sede vacante, et ita procedit limitatio communis doctorum. At in primo casu non procedit eadem limitatio, sed potius resolvendum, capitulum in dubio succedere etiam in hujusmodi jurisdictione in perpetuum episcopali muneri delegata, nisi aliud aliunde legitime colligatur ex mente delegantis. Ratio est, quia, supposita perpetuitate hujus delegationis, per quam id de quo actum fuerit annectitur in perpetuum episcopali muneri, non quidem principaliter in bonum episcopi, nec tanquam ejus privilegium, sed in bonum eorum in quos ea jurisdictio taliter delegata exercetur, vel aliorum, et ecclesiæ, consequitur eandem jurisdictionem censendam esse ut accessorium, imo ut partem totius jurisdi-

tionis episcopalis in communi, ac proinde ut talem transituram in capitulum in quod, sede vacante, transit per viam regulæ episcopalis jurisdictionis. Cum ergo hoc ita se habeat in jurisdictione in perpetuum episcopali muneri delegata, proindeque in ea succedat capitulum sede vacante, poterit ejus virtute visitare in spiritualibus moniales taliter exemptas, quippe credendum non est quod toto tempore sedis quoquo modo vacantis monasteria monialium exempta et soli Summo Pontifici immediate subjecta, et eorum moniales destituantur visitatione, et quolibet alio regimine spirituali, quod tanquam a Trid. et Pontif. Const. intenditur. » Barbosa, *De canonicis*, cap. 42, n. 107. Quidquid de capit. jurisdictione sede vac. visum fuerit Lucio nostro, v. *CAPITULUM SEDE VACANTE*, art. 3, n. 19 et seqq. v. *Addit. Casim.*, v. *VICARIUS CAPITULARIS*.

(27. « Jam vero præcipitur episcopo observantia clausuræ sub pœna obstationis divini iudicii, et interminationis maledictionis æternæ, ut ex cit. Trident. et motu Pii V quorum sanctiones non inducunt excommunicationem, sed significant præceptum obligare sub peccato mortali. » Ventriglia, *Prax. rer. notab.*, part. 1, annotat. 5, § 2, n. 3.

(28. « Porro ad hoc munus implendum sac. congreg. Conc. in *Auximana* 26 Januar. 1658 declaravit episcop. ad clausuram monialium custodiendam etiam in monasteriis subjectis regularibus, uti posse censuris, eisque ligare nedum regulares accedentes, sed etiam moniales, facta de illis mentione, et regulares non posse absolvere incurso

(95) « Episcopus potest punire regulares violantes clausuram monialium virtute concil. Trid., sess. 6, cap. 3, *De reformat.*, et tenet Leo, in *Thes. form. eccles.*, p. II, c. 1, n. 56, ubi etiam dicit, non incurrere regularem in excommunicationem emanatam in edicto episcopali contra adeuntes monasteria monialium, si regularis expresse ex privilegio exemptatur ab ordinarij excommunicationibus; secus est de non habentibus hoc privilegium, de quibus optime Campanus... ubi dicit, quod licet episcopus non possit excommunicare regulares habentes tale privilegium, pro accessu, et colloquio cum monialibus, cum huic privilegio non sit derogatum per concil. Trident., *loc. cit.*, potest tamen eos punire alia pœna in privilegio non comprehensa. Tambur., *De jure abbatis*, disp. 18, quæst. 1, n. 6. » Ita Ventriglia, *supra cit. Prax. rer. notabil.*, p. 1, annot. 5, § 2, n. 6.

Sed præstat in hac re audire D. de Ligorio, qui sic habet : « Dubitatur an regulares colloquentes cum monialibus incurrant excommunicationem reservatam latam ab episcopo? Adsunt quatuor sententiæ. Prima absolute negat... quia licet episcopi circa clausuram monialium, ex Trident., sess. 23, cap. 5, procedant ut delegati Sedis Apostolicæ, tamen ibi nulla sit mentio facultatis ferendi censuras contra religiosos. Secunda sententia omnino opposita... dicit, omnes regulares, etiam speciali privilegio donatos, incurrere excommunicationem latam ab episcopo. Tertia sententia... distinguit, et dicit non incurrere, si monasteria sint episcopo subjecta, quia cum in illis episcopus procedat auctoritate ordinaria, ei non subduntur regulares; secus vero si sint exempta, quia in his episcopi procedunt ut

et incursum. Et sacra cong. Episc. in *Anconitana* 8 Novemb. 1585 quod posset accessum prohibere etiam sub pœna corporis afflictiva. » Apud Monacellum, part. II, tit. 15, form. 15, n. 16, pag. 261.

(29. Hinc « episcopus ut inviolatam clausuram monialium custodiat juxta dispositionem concil. Trident. duo attendere debet : « Primum circa ipsas monialium personas « immediate, prohibendo egressum illarum « e clausura : et mediate, prohibendo ingressum externarum personarum ad monasteria. (95), non solum ingressum ad exteriores partes monast., sed etiam ad exteriores, alloquendo eas in rota, cratibus, « aliisque locis, vulgo *parlatorii* nuncupatis. « Secundo operando, ut clausura ipsa circumseptæ sit, et munita altis mœniis (96) « ex moni parte, ita ut accessus per ea red- « datur impossibilis ; et claudatur una tan- « tum janua, si fieri potest, eaque clave, et « ferro sit munita, quæ janua, die, una clave, « nocte vero duabus claudi debet, nec sine « præfecta aperiri : » Tambur., *De jur. abbatiss.*, disp. 18, quæst. 1, n. 6; Ventriglia, *l. cit.*, n. 7, et in eisdem terminis Barbosa, *De offic. et potest. episc.*, allegat. 102, n. 10.

(30. *Parlatoria* etiam quod attinet, lubet transcribere declarationem in forma epistolæ S. congreg. Episc. et Reg. in hæc sane verba : « Al vescovo di Reggio ai 9 Agosto 1593 d'ordine di Nostro Signore, che faccia eseguire gl' infrascritti ordini, non solo ne' monasteri ad esso sottoposti, ma etiam in quelli, che sono sudditi ai regolari.

« Primo, che i parlatorii si abbiano da levare dalle chiese, accomodandoli fuori di

Papæ delegati. Quarta demum sententia communior, cui magis adhæreo, ita de Ligorio... aliter distinguit, et ait, quod regulares, si habeant speciale privilegium, quod non possint excommunicari, aut suspendi ab episcopis (prout habent medicantes ex *Compend. privileg.*, etc., et religiosi societatis Jesu, ex bulla Pauli III, ann. 1519), hi non incurrunt excommunicationem ab episcopo latam; secus vero, si tali privilegio careant... Unde inferitur, quod regulares speciali privilegio non muniti, bene incurrunt excommunicationem latam ab episcopo in colloquentes cum monialibus, sive monasterium sit exemptum sive subjectum episcopo, quia etiam in hoc episcopus procedit contra regulares tanquam delegatus Sedis Apostolicæ, alias in eos nullam haberet jurisdictionem puniendi et corrigendi, sicut habere dicitur in bulla (mox citanda). Secus vero dicendum de regularibus speciali privilegio gaudentibus; tale enim privilegium hoc importare debet, ut contra eos episcopus, nec etiam ut delegatus Sedis Apostolicæ possit procedere; quia cum regulares ordinarij in aliis sint exempti a jurisdictione episcopi, quando contra eos episcopus procedit, semper ut delegatus procedere debet. Hoc vero intelligendum si privilegium post (dict.) bullam Gregorii XIII (incip. *Inscrutabili*) sit concessum, non vero si ante, dum in Bulla dicitur, « nullis privilegiis et exemptionibus tueri se possint, etc. » *De censuris*, n. 241.

(96) « Debere ita custodiri clausura, ita ut sit circumseptæ, et munita altis mœniis, ac excelis undique parietibus, ne e vicinorum aedibus, quicunque illi sint, monasteria introspectantur. » Pellizz., *De monial.*, c. 5, sect. 1, n. 12.